

cat, vel quia aliqua propositio aequivocam, ac proinde multiplicem significationem habet, vel quia praemissae debitum ordinem cum conclusione non habent. Iam, si primo vitio formae laborat, distinguenda est illa propositio aequivoca; sin altero, dividendae sunt praemissae a conclusione, sive ostendendum est conclusionem cum praemissis non connecti.

23. Quoad autem modos speciales, quibus sophismata vere solvi possunt, eos singulos exponere ratio huius operis haud sinit. Quare unum, aut alterum, exempli instar, dumtaxat innuemus. Fallacia *compositionis*, et *divisionis*, quae est in dictione, solvitur, si ea, quae sophista sensu composito accipit, a nobis sensu diviso, et quae ille sensu diviso, a nobis sensu composito explicentur. Ita si quis cavilletur hoc modo: *Apostoli sunt duodecim: atqui Petrus, et Ioannes sunt Apostoli; ergo Petrus, et Ioannes sunt duodecim*, neganda est conclusio, quia esse duodecim, quod de Apostolis simul coniunctis dumtaxat verum est, de iis etiam separatim praedicatur. Si sophista fallaciam ignorationis elenchi adhibens, ita arguit: *Duo sunt duplum unius; atqui non sunt duplum trium; ergo sunt duplum, et non duplum*; respondendum est conclusionem a praemissis haud fluere, quia in praemissis non dicitur idem esse duplum, et non duplum, prout ad idem, sed prout ad diversa, nempe ad *unum*, et ad *tria* refertur.

CAPVT II.

De syllogismo dialectico

24. *Dialectica* est ea pars Logicae, quae modum docet, quo aliqua quaestio per probabiles rationes in utramque partem exagitur. Ipsa *via ad scientiam* dicitur, quia mens humana ad perfectam cognitionem, sive scientiam rei assequendam veluti per quosdam gradus pervenit; nimirum primum inquirat, quid probabile, aut verisimile in re quaesita sibi occurrat, et deinde per has probabiles rationes ad perfectam, seu scientificam cognitionem illius rei progreditur.

ART. I. Quaestiones, quae in universum circa res institui possunt, recensentur

25. Quatuor de qualibet re quaeri possunt, nempe *an sit, quid sit, qualis sit, cur, et unde sit*. Prima quaestione quaeritur existentia rei; altera, ipsius essentia; tertia, qualitas, quae rei in-

haeret, sed eius essentiam non efficit; quarta denique, finis, propter quem, et causa, ex qua res effecta est.

26. Circa haec varia quaestionesnum genera quaedam adnotanda sunt:

1° Cum existentia rei, de qua quaeritur, nos latet, quaestio *an sit*, aliis praecedere debet, quippe quod nihil de aliqua re quaerere licet, nisi ipsam esse constet. Ut autem haec quaestio institui possit, necesse est ut innotescat quid nomine rei quaesitae intelligatur, nulla enim quaestio, quaecumque ea sit, institui potest, nisi voces, quibus significatur, compertae sint.

2° Quaestiones, *an res sit*, et *qualis res sit*, ad unam quaestionem revocantur, quippe quod ambae ad existentiam rei pertinent, et tantum in eo differunt, quod quaestio, *an res sit*, respicit existentiam rei absolute; quaestio autem, *qualis res sit*, versatur circa existentiam alicuius affectionis rei. Item, quaestiones, *quid res sit*, et *propter quid*, ipsa *sit*, ad unicam quaestionem redeunt; nam rei essentia, in qua quaestio, *quid sit*, consistit, complectitur principia, ex quibus res constituitur, sive causas, propter quas ipsa ad hanc, et non ad aliam speciem pertinet: quapropter qui novit causas rei, nempe *propter quid*, is essentiam rei, nempe *quid res sit*, simul discit; et vicissim. E. g., si quis cognoscit causam, per quam luna deficit, esse interpositionem terrae inter lunam, et solem, simul cognoscit defectionem lunae esse privationem luminis ex interpositione terrae inter lunam, et solem effectam; quocirca essentiam eclipsis una cum causa eius cognoscit.

3° Quaestiones, *an res sit*, et *qualis res sit*, cum respiciant existentiam rei, cognitionem *vulgarem*; quaestiones, *quid res sit*, et *propter quid sit*, cum inquirant causam, et essentiam rei, cognitionem *scientificam* in nobis progignunt; siquidem cognitio vulgaris a scientifica in eo differt, quod illa tantum rem esse, haec autem, cur ita esse debeat, exhibet. At vero, quaestio, *an res sit*, ad scientificam cognitionem rei efficiendam plurimum confert, quia mens nostra, cum apprehendit existentiam rei, cuius causam ignorat, naturaliter trahitur ad ipsam causam investigandam, ut quid res sit, cognoscat. Idem dicatur de quaestione, *qualis res sit*, nam, perspectis affectionibus, quae rei insunt, haud difficulter cognoscitur, qua ex causa ipsae rei insint.

ART. II. *Quaenam sint quaestiones dialecticae, exponitur*

27. Quaestionum theoria in unum sum explicata, exponere e re est, quaenam sint quaestiones dialecticae. In primis manifestum est quaestiones *quid res sit*, et *cur*, et *unde sit*, ad dialecticam non pertinere, quia illae, ut diximus, certam, et scientificam cognitionem rei pariunt, dum e contrario dialectica probabilem cognitionem dumtaxat sectatur. Hinc, quando rem esse innotescit, quaestio dialectica alia esse non potest, quam quaestio, *qualis res sit*, nempe, *num aliquid rei insit*.

28. Iam circa quaestionem, *num aliquid rei insit*, dialectice institutam non pertinet quidem ad Logicam tradere, num haec, vel illa proprietates huic, vel illi rerum speciei insit, sed tantum modum, quo insit, argumentis probabilibus ¹ investigare. Hic autem modus quadruplex esse potest, nempe investigari potest, utrum aliquid insit rei uti *genus*, e. g., *num hominis genus sit esse animal*; vel uti *proprium*, e. g., *utrum proprium hominis sit esse risibile*; vel uti *definitio*, e. g., *utrum hominis definitio sit esse animal rationale*; vel uti *accidens*, e. g., *utrum accidens hominis sit esse album*. Hanc ob rationem quatuor numerantur quaestiones dialecticae, nempe *de genere*, *de proprio*, *de definitione*, et *de accidente* ².

29. Ex his conficitur, etsi *genus*, et *definitio*, *quid res sit*, nempe *definitio* essentiam totam, et *genus* ex parte denotent, tamen quaestiones dialecticas *de genere*, et *de definitione* ad quaestionem, *qualis res sit*, spectare; in iis enim investigatur argumentis probabilibus, num aliquid, quod rei inesse constat, insit ipsi uti *genus*, vel uti *definitio*.

30. Illud autem animadvertendum est, quaestiones non esse instituendas, quae vel *impiae*, vel *manifestae sensui*, vel *nimis faciles*, aut *nimis difficiles* sunt. *Impiae*, e. g., *num Deus sit co-*

¹ Syllogismi, qui in dialectica adhibentur, sunt *enthymema*, et *epichirema*; nam hi syllogismi, ut in prima parte diximus, cum ex probabilibus praemissis proficiscantur, probabiles conclusiones habent, ac proinde ad solvendas quaestiones dialecticas, quae circa probabilia versantur, pertinent.

² Quaestiones, num aliquid alicui insit uti *differentia*, e. g., *num homo ratione polleat*, vel uti *species*, e. g., *utrum bucephalus sit bellua*, inter quaestiones dialecticas non numerantur, quia ipsae dialectice consideratae aliquid, quod de pluribus praedicatur, denotant, ac proinde ad quaestionem *de genere* revocantur.

lendus, quia qui huiusmodi quaestiones instituunt, potius sunt poena coercendi, quam argumentis refutandi. Tum *manifestae sensui*, e. g., *silne nix alba, an non*, nam quisquis de his dubitat, sensu carere dicendus est. Demum *nimis faciles*, aut *nimis difficiles*, quia nimia facilitas omnem locum dubitationi eripit, et nimia difficultas exercitationem, quae assecutioni scientiae valde utilis est, insuavem, ac infructuosam reddit.

ART. III. *De usu dubitationis, et historiae ad investigationem veri*

31. Dialectica, uti diximus, viam ad verum inveniendum indicare debet. Iam investigatio veri a dubitatione, eiusque solutione initium sumere debet. Sane, qui aliquam quaestionem instituit, de eo, quod quaerit, dubitat. Etenim quaestio circa aliquam rem institui non potest, nisi ab eo, qui illam ita se habere, vel ita se non habere certo non cognoscit, sed inter utramque partem contradictionis vacillat. Atqui status mentis inter utramque contradictionis partem vacillantem *dubitatio* vocatur. Ergo qui aliquam quaestionem instituit, de eo, quod quaerit, dubitat.

32. Iam ista dubitatio oritur ex eo, quod contrariae philosophorum opiniones circa rem, quam quaerimus, existunt, vel ex eo, quod praeeudicatas opiniones circa ipsam temere imbibimus. Quapropter quaestionem solvendam suscipimus, ut certam inter contrarias sententias cognoscamus, vel ut animum nostrum praeeudicatis opinionibus expoliamus. Quod cum ita sit, manifestum est ei, qui rite, utiliterque quaestionem dirimere vult, a solutione dubitationis initium sumendum esse. Enimvero quaenam inter contrarias sententias certa sit, statuere non possumus, nisi illas hinc inde excutiamus, et quid de his admittendum, quidve reiiciendum sit, perspiciamus; item animum nostrum praeeudicatis opinionibus expoliare non possumus, nisi harum examine instituto, veras a falsis discriminemus. Atqui in his solutio dubitationis consistit. Ergo quaestio rite solvi nequit, nisi dubitatio in primis solvatur. Id s. Thomas sequenti exemplo declaravit. Quemadmodum ligatus non potest ambulare, nisi vinculum solvat, quo constringitur, ita, cum homo, rem ignotam quaerens, a dubitatione, veluti quodam vinculo mentis, detineatur, in cognitione rei progredi non potest, nisi dubitationem solvat ¹.

¹ In lib. III Met., lect. I.

33. At vero haec non ita accipienda sunt, ut de omnibus dubitetur. Etiam, si de omnibus dubitetur, nulla dubitatio exsolvi potest, quia dubitatio non nisi per ea, quae omnino certa sunt, ac proinde nulli dubitationi obnoxia, excluditur. Hinc sapienter Aristoteles monuit¹, dubitationem instituendam esse vel de iis, quae a sapientibus nondum investigata sunt, vel de iis, circa quae plures, ab seque discrepantes sapientum opiniones extant².

34. Haec, quam commendavimus, dubitatio, appellatur *methodica*, atque a dubitatione *sceptica* maxime differt, 1° quia is, qui dubitationem, methodi gratia, instituit, eo usque dubitat, donec ad dubitationis solutionem perveniat, dum Scepticus ea mente dubitat, ut in dubitatione maneat; 2° quia sceptica dubitatio circa omnia versatur, nihilque esse ex se perspicuum statuit, dum in dubitatione methodica multa ex se perspicua admittuntur, de quibus ne possibile quidem est dubitare, et quorum ope dubitationes exsolvere licet.

35. Quaestionem dirimere aggredienti valde etiam utile est illius historiam, seu sapientum, qui praecesserunt, opiniones nosse. Namque ea, quae circa rem a nobis quaesitam maiores nostri invenerunt, vel vera esse a nobis perspiciuntur, vel falsa. Si primum, mens nostra nova cognitione veritatum locupletatur, quia in iis ex se ipsa inquirendis tempus frustra terat. Sin alterum, efficitur ut errores, in quos alii ante nos inciderunt, vitemus, aliasque vias ad verum inveniendum ingrediamur³.

ART. IV. De locis, ex quibus argumenta dialectica hauriuntur

36. Locus a Teophrasto discipulo Aristotelis ita definitur: *Proposilio omnium maxime universalis, quae per diversa genera rerum determinata solutioni quaestionum dialecticarum inservire potest*⁴. E. g., si quaeratur, *utrum sanitas melior potione sit*, solutio peti potest ab hac propositione: *Finis est melior iis, quae ad finem destinantur*; nam ex vi huius pronuntiati licet

¹ Met., lib. II, c. I, § 1.

² Inde patet Cartesium hanc dubitationem longius, quam par, aequumque est, provexisse, siquidem ipse de omnibus, praeter existentiam sui ipsius, dubitare instituit; *De methodo*, § 4.

³ Cf s. Thom., *In lib. I de Anim.*, lect. II, et *In lib. II Met.*, lect. I, et II.

⁴ Cf Alexandrum Aphrodisiensem, *Comm. in lib. VIII Topic.*, lib. I, fol. 2 verso, et in *lib. II*, fol. 21 recto, Venetiis 1514.

ita argumentari: *Finis est melior iis, quae ad finem destinantur; atqui sanitas est finis, ob quam potio desideratur; ergo sanitas melior potione est.*

37. Quoniam quaestiones dialecticae sunt, ut diximus, vel *generis*, vel *definitionis*, vel *propri*, vel *accidentis*, quadripartita est divisio locorum, quia alii eorum *a genere*, alii *a definitione*, alii *a proprio*, alii denique *ab accidente* sumuntur. Ex plurimis locis, qui ab his singulis sumi possunt, unum, et alterum, exempli instar, exponemus.

38. Ad loca, quae ab *accidente* sumuntur, pertinent hae propositiones: 1° *Contrariorum contraria sunt attributa*, vi cuius ita arguitur: *Iustus est laudandus; ergo iniustus est vituperandus.* 2° *Eidem subiecto contraria attributa inesse nequeunt*; unde ex eo, quod unum illorum inest subiecto, arguitur alterum ei non inesse. E. g., *Iustus est laudandus; ergo iustus non est vituperandus*; et, *Iniustus est vituperandus; ergo iniustus non est laudandus.* 3° *Idem attributum contrariis subiectis inesse non potest*; unde arguitur hoc modo: *Iustus est laudandus; ergo iniustus non est laudandus*; et, *Iniustus est vituperandus; ergo iustus non est vituperandus.*

39. A *genere* petitur hic locus: *Id, quod non convenit alicui speciei, aut individuo, non est genus, cui illa species, aut illud individuum subiicitur.* Puta, ex hoc loco facile est refellere Epicurum, qui *bonum esse genus voluptatis* autumavit, quia sunt voluptatis species, de quibus *bonum* non praedicatur.

40. A *proprio* sumuntur hi loci: 1° *Id, quod non est simul cum re, sed vel prius ea, vel posterius, non est proprium eius.* E. g., *ambulare in foro non esse proprium hominis* ex eo probari potest, quod posterius contingit hominem ambulare in foro, quam hominem esse. 2° *Si subiecto est proprium aliquid attributum, contrarium huius attributi est etiam proprium contrario illius subiecti.* E. g., ex eo quod esse *expelendum* est proprium boni, inferre licet esse *fugiendum* esse proprium mali.

41. Denique exemplum alicuius loci, qui *a definitione* trahitur, est: *Quod rei naturam non ingreditur, ad illius definitionem non pertinet*, e. g., ex eo quod esse *bipes* non constituit hominis naturam, infertur ad eius definitionem haud pertinere.